De l'Imprimerie de QUILLAU, rue Galande, à l'Annonciation, 1740.

# DECRETUM

A

SALUBERRIMÂ FACULTATE PARISIENSI

Latum die Mercurii decimo-nono mensis Octobris anni 1740.



## *De Jubilæo Examine.*

ANNO Domini suprà millesimum septingentesimo quadragesimo, die Martis, decimâ octavâ mensis Octobris, Divo Lucæ Medicorum Patrono dicatâ, post Sacrum solita sunt habita comitia, in quibus actum est præsertim de componendâ lite, quæ circa Jubilæum examen Candidatis aperiendum, jam ab aliquot diebus, inter Magistros movebatur.

Auditis hinc & inde variis controversiæ dirimendæ modis, totum id negotii traditum fuit conficiendum Magistro Ludovico Claudio Bourdelin Antiquo Facultatis Decano & Academiæ Censori, qui tanquam relligiosus interpres, verissimam Doctorum præsentium sententiam, in tabulas præscriptam, Facultati postridiè referret.

Die igitur Mercurii, Decimo-nono mensis ejusdem & anni. Cùm ex solemni more, per juramentum, Doctores quàm frequentissimi Sacro pro defunctis

Magiſtris interfuiſſent, ſtatim à Sacro in Scholas Superiores ſeceſſerunt, ubi audito Magiſtro Ludovico-Claudio Bourdelin in ſua relatione ſuper componendâ lite ipſi pridiè delegata, ſtatuerunt pacis & concordiæ monumentum ſubſequens, à dicto Magiſtro Bourdelin concinnatum, poſteris ac nepótibus mandandum eſſe atque conſecrandum.

DE aperiendo præteritis Remigialibus, Sylveſtri Le Moyne in gratiam Jubilæo actum fuit variis quatuor in Facultatis Saluberrimæ Comitiis. Quod ſcilicet Examen die Mercurii vigeſimo-octavo Septembris generalibus quidem, ſed ad id tamen negotii non cónvocatis Comitiis, Facultas denegaverat, illud in ſequentibus duobus, & hâc de re habitis Comitiis Doctorum præſentium pars major, non dicto Le Moyne tantum, ſed & aliorum inſuper Candidatorum ſupplicationi cenſuerat eſſe concedendum; intercedentibus tamen, interceſſioniſque ſuæ actum poſtulantibus, cum Clariſſimo viro Magiſtro Hyacintho Theodoro Baron, Antiquo Facultatis Decano, octo aliis Doctoribus.

Nec, Bifariam ſic diviſâ Facultate, deerant utrique parti rationum momenta, quibus ſuam quiſque ſententiam deffenderet. Aſſerebant ſcilicet qui ſtabant pro aperiendo Examine, Magiſtrorum filios omni favore excipiendos eſſe, apertumque pluries Jubilæum, aliis Candidatis quos fors obtuliſſet, licet Magiſtrorum non filiis, ſic indulgente Facultate ſaluberrimâ, non raró patuiſſe.

Parte aliâ Statutorum Facultatis articulo undecimo, & Decreto die ſeptimo menſis Auguſti anni 1718, Decano Magiſtro Amando Douté lato, Supremique Senatûs autoritate munito, freti reclamantes, nullum, niſi Magiſtri filium ad Jubilæi Examen admitti aut debere, aut poſſe contendebant. Qui ut Statutis Decretoque Saluberrimi Ordinis ſuus tenor remaneret, impetratum à ſe Supremi Senatûs conſultum, quo cavetur, ne, excepto Sylveſtro Le Moyne, ulli Candidato ſupplicandi copia fiat, Magiſtro Urbano Leaulté, Facultatis Decano, curaverunt denunciari.

Hujus Senatûs conſulti auditâ, in Comitiis, die Lunæ decimo-ſeptimo Octobris anni 1740 Lectione, non modo non detumuit ſed violentiùs deſæviit tempeſtas, quæ Facultatem à pluribus diebus huc illucque verſatam malè habebat, novâque novo huic Senatûs conſulto, ab aperiendi Jubilæi aſſertoribus factâ interceſſione, facultatem in Jus Facultas dubio procul rapuiſſet, niſi, quam ſtrenuè in aſſerendis Statutis ſe geſſerunt reclamantes, iidem nonnullorum moti Collegarum votis atque precibus, tam humanè etiam, tam piè, à ſuâ interceſſione abeundo, Saluberrimi Ordinis paci atque concordiæ, matriſque optimæ tranquillitati conſultum voluiſſent; ut igitur pari tumultui ſimilique diſſenſioni omnis deinceps anſa reſcindatur.

Cenſet Facultas admittendos quidem eſſe ad Jubilæum cum Sylveſtro Le Moyne, quotquot ſe offerunt Candidatos, eâ tamen lege, ut ne hæc Saluber-

rimi Ordinis indulgentia trahatur in exemplum, nec ad illud idem Examen, cum Magiſtrorum filiis ullus poſthac extraneus, niſi Doctorum præſentium reclamante nemine, admittatur.

Cenſuit inſuper Ordo Saluberrimus præſens Decretum Commentariis Facultatis inſcribendum eſſe, Typis mandandum, ſinguliſque Doctoribus diſtribuendum. Et ſic cum Facultate concluſit LEAULTE', Antiquior Scholæ Magiſter, Decanus.

*Datum in Scholis Superioribus Medicorum Pariſienſium, die Mercurii decimo-nono Octobris* 1740.